



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm X. Ex parte.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

**G**Ræci consuetudinem habebant sacros ordines etiam extra quatuor ieiuniorum tempora conferendi. Hanc consuetudinem, si apud Græcos ab antiquo tempore recepta & exercita sit, licet Cælestinus III. damnare non audeat, ita ut secundum eum morem ordinati culpam, aut censuram contrahere censendi sint, prohibet tamen, ne Latini secundum dictum Græcorum ritum ordines accipere à Græcis Episcopis permittantur.

Ratio responsionis dari debet. Quia Clerici à proprio Episcopo secundum canones ordinari debent. Tamen si verò Episcopi possint licentiam, seu literas dimissorias dare, ut ab alieno Episcopo ordines accipiantur, non tamen expedire visum fuit, ut dimissoriae darentur ad Episcopum Græcum, extra quatuor ieiuniorum tempora, contra antiquos canones ordinantem.

Corollarium. Si Latina Ecclesia vicina sit Ecclesie Græcæ, in qua Eucharistiæ consecratio & communicatio fit in pane fermentato, non videtur permittendum, ut subditi, absque necessitatis causa, ex Ecclesia Latina egrediantur ad Græcam, ut ibi in fermentato Eucharistiæ accipiant, ne Orientalium consecrandi ritum præferre videantur ritui Ecclesie Romanæ, ab Apostolis per traditionem accepto. Sed alia ratio est, si Sacerdos latinus peregrinari debeat per terras Orientalium: is enim si velit, conformare se poterit Ecclesie Græcorum, & in fermentato consecrare, vel communicare, uti ex communi dixi lib. 1. tract. 4. cap. 12. num. 6. Propterea quod ea consecrandi consuetudo approbata sit pro Ecclesiis Orientalibus in Concilio Florentino, in decreto unionis: Iste autem peregrinus versatur in Ecclesia Græca: Ergo consuetudini ibi approbatæ se conformare potest; idque causâ pacis, & ne ritum Græcorum damnare videatur.

\* \* \*

## CAPITVLVM X.

## Ex parte.

## PARAPHRASIS.

Monachus quidam albi habitus transiit ad Monachos nigros, eorumque habitum induit, atque ad sacerdotium promotus est. Quæsitum fuit ex Innoc. III. Papæ verum in sacerdotij ordine ministrare permittendus sit. Affirmat Innoc. III. si nullum aliud impedimentum canonicum obstat.

## SUMMARIUM.

*Monachus transiens absque licentia & dispensatione ad Ordinem alium non strictiorem, in quo sacerdotium accepit, permittendus est in eo liberè ministrare.*

**C**anonistæ duobus modis hoc c. intelligunt. Primò, quod transierit ad Monachos regulæ strictioris. Sed tum nulla fuisse ratio dubitandi, & consulendi Pontificem, cum transiit ad Ordinem strictiorem canonico iure permittendus sit, licentiâ Prælati petita, quamvis non obtentâ, c. licet, 1. 8. de Regul. & docui lib. 4. tr. 6. c. 6. n. 9.

Alter, & probabilior intellectus est, quod absque licentiâ & dispensatione transierit ad Ordinem non strictiorem. Quamobrem videbatur suspensionem Papæ reseruatam incurrisse, propter ordinem in apostasia susceptum, iuxta c. ult. de apostatis, ubi habetur, quod Religiosus in apostasia ordinatus, eo ordine uti non possit, absque Papæ dispensatione. Ad hoc respondet Innoc. III. Hunc Monachum apostatam non esse, cum à Religione non omnino discesserit, sed in alia Religione transierit. Quamvis ea in re peccarit mortaliter, arg. c. intelleximus, 12. de retat. & qualit. & quidem contra vota sua, quibus se huic Ordini, ac Prælato tradidit: Imò hodie excommunicationem Sedi Apostolicæ reseruatâ incurrit Religiosus Ordinis Mendicantis, si ad non mendicantem Ordinem se transferat, extrauag. 1. de Regularibus. Vide Syl. ver. Apostata, q. 4.

CAPL.